

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0471

0469

0475

0465

0480

0460

0520

0420

0570

0370

0970

457

quae de alta rupe scissa deorsum per praeceps ruit et viae directae sursum ducenti obstaculum existit, ita, quod propter molem istam oportet facere circuitum. Hanc autem rupturam petrae dicunt tempore Heliae factam esse, quando ei Deus mandavit, ut de specu exiret. Et dum staret coram Domino, ecce Dominus transiit et spiritus grandis et fortis subvertens montes et conterens petras, 3. Reg. XIX., de facto enim juxta illam partem montis est horrida petrarum et rupium eversio et ruptio, quasi singularis tempestas ibi grassasset. Et hoc intelligunt factum esse in conspectu Heliae, non solum imaginative, sed et corporaliter. Unde Magister in Spec. hist. dicit, quod tria illa, in quibus non erat Dominus, erant corporalia. Primo ventus fortissimus, conterens petras; secundo terrae commotio, subvertens montes; tertio ignis magnus, comburens et consumens et incendens rupes. Et illius horribilis tempestatis signa hodie apparent.

Ascendimus ergo per contritos lapides et eversas rupes cum magno labore et sudore et paene usque in verticem venimus.

Sub cacumine in montis collo venimus ad petram, in qua foramen erat et istud foramen est illud, de quo habetur Exodi XXXIII. Cum enim Moyses colloquio Domini frueretur, desiderabat videre faciem Dei et claritatem Dei. Cui Dominus: non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo et vivet. Ecce, est locus apud me, inquit, et stabis super petram eamque pertransibit gloria mea. Ponam te in foramen petrae et portegam te dextera mea. In ipsam ergo voraginem licet arctam et strictam, in qua Moyses recurvus in ventre jacens fuit a Domino positus, immisimus nos etiam devotionis causa. Cum labore enim ad imitationem prophetae in hoc foramine nos involvimus. Est enim foramen paululum a terra estque demissum et non altum, nisi quod (b) homo in terra stans potest extensis brachiis cum capite se intromittere. Si autem vult etiam pectore intrare, oportet, quod se levet a terra et tunc brachia, pectus et caput sunt quidem intus, sed crura cum tota posteriore parte extra dependent ab umbilico, et ita homo jacet quasi inter duas molas, quia cum ventre jacet super partem petrae inferiorem et dorsum premit pars

Ende

Anfang